Königliches Gymnasium
zu
INOWRAZLAW.

XVI.

Zu der

Freitag, den 4. April,

stattfindenden

öffentlichen Prüfung aller Klassen

ladet

die Angehörigen der Schüler und alle Freunde der Anstalt im Namen des Lehrer-Kollegiums ehrerbietigst und ergebenst ein

CARL MENZEL,

Gymnasialdirektor.

Inhalt:

1. *De Jove Cretico. Vom Gymnasiallehrer Dr. Henrychowski.*
2. *Schulnachrichten vom Direktor.*

INOWRAZLAW.

DRUCK VON H. OLAWSKI.

1879.

De Jove Cretico.

I.

Credo ego fore ut mireris, quid sit, quod, cum viri veterum cultus numinum peritissimi de Graecorum diis opiniones suas summis ingeniis et exquisita doctrina iam fecerint iuris publici, ego potissimum quaestionem de Jove Cretico[1]) difficillimam susceperim tractandam, quae quaestio nonnullis explicata esse videtur vel haud digna, in qua explicanda oleum et operam perdamus. At dubito, cum diis nihil sanctius operaque mea nihil sit dignius, num in eo sit, ut industriae meae modum statuatis, praesertim cum de Jove Cretico inter vos, viri numinum minime neglegentes, magna adhuc sit dissensio, quam opinionum diversitatem de medio tolli permagnum nostrum omnium interest. Alii enim, qui Herodoti[2]) locum notissimum per transennam quasi praetereuntes strictim aspexerint, veterrimum Graecorum cultum non solum nomina deorum defecisse, sed etiam ipsas deorum fabulas ad id tempus referendas esse, quo Phoenicum mercatores Cretam et Graeciam adierint, esseque origine Semitica facere non possunt quin contendant[3]), ut Jupiter Creticus sit Adonis vel conformatio naturae, quae singulis annis et intereat et ad vitam redeat; alii operam dant, ut demonstrent, fieri non potuisse, ut Semitum commercium[4]) et consuetudo ad populi Graeci opinionem numinum adeo pertineret, ut summi dii, qui cum maioribus ex pristina sede in Graeciam migravissent, obsolescerent.

An nos fugit Graecos Arjae populi consanguineos ex oriente, ex iis regionibus, quae erant trans Semites, ex montanis Iranicis egressos non per Semites in Graeciam iter fecisse, cum in maris Aegaei insulas recentioribus temporibus Graeci ex Graecia colonos deduxissent Caribus fugatis vel oppressis?[5]) Quae res cum ita se habeat, fieri non potuit, ut Graeci Semiticorum cultui numinum in itinere adhaererent. Assentieris igitur Graecos cum a cultu atque humanitate minime afuisse tum deorum nomina in patrum sedibus usitata in nova patria nequaquam oblitos esse, quae nomina posteris ut ἀπὸ τῶν βαρβάρων ἥκοντα dubito an sonaverint; nam deus summarum coeli regionum ab Indis Varuna, οὐρανὸς a Graecis appellabatur et Indorum Deva Devque Iranorum eadem sunt radice atque θεὸς Graecorum Romanorumque deus, quae voces, cum nationum eiusdem originis sint, significant splendorem, lucem, diem.

Sed tantum abest, ut mihi sententia eorum probetur, qui de deorum Graecorum natura atque cultu quaestionem in Indogermanorum linguas et fabulas concludant, ut credam etiam Semitum linguas et fabulas indagandas esse, cum vix dubitari liceat, quin deorum nomina omnium populorum sint conformationes rerum novarum atque insolitarum unius numinis, quae nomina, ut omnibus na-

---

1) Principio Joves tres numerant ii, qui theologi nominantur: ex quibus primum et secundum natos in Arcadia: alterum patre Aethere, ex quo etiam Proserpinam natam ferunt et Liberum, alterum patre Coelo (sive Saturno), qui genuisse Minervam dicitur; tertium Cretensem, Saturni filium. Cic. de n. d. III. 21.

2) Herod. II. 52.

3) Dr. Krause, Ueber den Ursprung der griechischen Götterlehre. Fünfzehnter Bericht der Philomathie in Neisse, 1867.

4) G. F. Schoemann, Griechische Alterthümer, I. p. 11.

5) Cfr. Max. Duncker, Geschichte des Alterthums, tom. III. p. 19.

tionibus unius patris unam linguam fuisse verisimile est, quae, postquam posteri eius in diversas terrarum partes discesserunt, a consuetudine patris verbis novatis recessit, ficta et formata poetis et philosophis aliena et contraria esse videbantur. Causa quae sit videtis; nunc quid agendum sit, consideremus. Primum de genere et cultu Uranionum vel Titanum, deinde de Cronidis, tum in quibus numinibus numerandus sit Jupiter Creticus mihi videtur esse quaerendum.

II.

Homerus quidem, honestissimus ille praeco priscae Graecorum religionis haud fucatae, memoriae prodidit ante deos Olympi alia fuisse numina, qui Uraniones vel Titanes Oceano, omnium rerum patre, eiusque coniuge Tethye nati dicerentur; qui quomodo culti essent Homerum fugisse videtur. Sed Hesiodus, qui centum post annis vixit, Titanes Urano et Gaea, qui ex Chao evasissent, ortos esse cecinit; quorum natu minimus Saturnus vel *Κρόνος*, qui Rheam Titanida in matrimonium duxisset, pater fuisset Cronidarum, quorum natu minimus Jupiter in Creta insula natus esse fertur. Coeli et terrae imperium tenuisse deinceps Uranum, Saturnum, Jovem. Uterque igitur poeta Titanes deorum Olympiorum vel Cronidarum parentes fuisse consentit, quanquam Homerus poeta epicus res perfectas et absolutas diuturna progressione haud indicata retulit, cum Hesiodus poeta et philosophus successionis ordinem accurate indixerit. Ut enim Uranus sive Coelus cupide liberos suos in mediam Tellurem retrusos in tenebris abdidit, donec a Saturno filio natu minimo regno orbatus est, ita Saturnus, quos liberos Rhea paritura erat, devoravit nascentes, dum Jupiter in Creta natus eum coegit, ut Vesta, Cerere, Junone sororibus et Plutone, Neptuno fratribus evomitis sibi imperium traderet.1)

Viri sane linguarum peritissimi demonstrare student Jovem ex voce Djâus ortum esse; attamen *Ζεύς*, Saturni Titanis filius, priscis temporibus non solum Djâus vel Daus, sed etiam Dan vel *Ζάν* = Djan appellabatur, cuius uxori, deae coeli et Dodonae, sedis sanctissimae, Dione sive Djone nomĕn erat. Jovis frater Neptunus vel Poseidon a Doribus, qui antiquissimis temporibus Olympum accoluisse et in Cretam colonos deduxisse feruntur, P o t e i d a n 2) dominus undarum fluentium et deus frugifer ut Pluto vel Hades antiquissima forma *Αἰδωνεύς* dominus inferorum invocabatur et adorabatur. Dan Titanum princeps idem significat atque Germanorum Wuotan sive Odhin naturae spiritus et dominus omnes res pervadens, qui comparandus est cum Etruscorum Jove T i n a vel Tinia et D i n a Sanscritico,3) quae numina lumen divinum et diei splendorem sonant et declarant. D i o n y s o s, quod dei nomen compositum est ex D j a n et H y, Jovis filius et Diones vel Hyes, deus naturae fuit pluviis ad pariendum coactae, ut A d o n Gebalius natura florens erat, quae aestibus aestatis et hiemis frigoribus interit, ut vere ad vitam redeat. Et virgo D i d o n est Dione sive Juno coeli, quae ex immortali dea regina mortalis facta incolas terrae sapienter institutis reddidit beatos; qua fortuna simili modo usus est D a n a o s, Dan deus tonitruum, cuius filiae, quae erant nubes, vasis perforatis aquam hauriunt et portant, vel T a n t a l o s, Dan sive Titan aeger, cruciatus,

---

1) Vetus Graeciam opplevit opinio, exsectum Coelum a filio Saturno, vinctum autem Saturnum ipsum a filio Jove. Physica ratio non inelegans inclusa est in impias fabulas. Coelum enim sive coelestem, altissimam aethereamque naturam, id est igneam, per se omnia gignere voluerunt. Saturnum autem eum esse voluerunt, qui cursum et conversionem spatiorum ac temporum contineret, qui deus Graece id ipsum nomen habet: *Κρόνος* enim dicitur, qui est idem *χρόνος*, id est spatium temporis. Saturnus autem est appellatus, quod saturaretur annis. Sed ipse Jupiter est iuvans pater. (Cic. de n. d. II. 24—25.) Quas notationes spernendas esse infra videbimus.

2) Neptunus, Romanorum idem deus, non a nando productum est nomen (Cic. de n. d. II. 26), sed a radicibus Nav-Dan sive Nev-Tan, ut Neptunus sit dominus aquae fluentis.

3) Cfr. Theodor Mommsen, Römische Geschichte, tom. I, p. 121.

morti terroribusque Tartari obiectus, cuius uxor Diona Titanis est neque a Dione, uxore Jovis Dodonaei, abhorret.

Quibus rebus perspectis non ibis infitias, Titanes non solum Indogermanorum deos, sed etiam Semitum fuisse, quae conformationes speciei cuiusque novae et insolitae unius dei in deorum familia honoribus a variis nationibus similiter colebantur. At *Κρόνος* tamen, quo Titanum nullus praestantior fuisse fertur, non deus aeternus habendus est, sed rerum perfector, id quod *κραν* radix postulat, qui deus etiam maturat, quae herbae et plantae se tollunt in luminis oras, quique crescentibus adimit fetus uritque ferentes.

Prisci vero cultus Titanum, de qua re infra admonebo, haud scio an vestigium investigetur, qui dei recentioribus temporibus parcis colebantur honoribus. Olympiae enim erat collis Saturnius, in quo ei sacra fiebant; Athenis in ima arce Saturni et Rheae erat templum, in quo Saturnalia celebrabantur solstitiali die, qui dies festus Apollinis thargelii cultum in memoriam revocat. Etiam statuae Saturni sunt recentioris aetatis, quarum altera, quae est in Museo Pio-Clementino, plena est dignitatis et venustatis, et in ara Capitolina fictus est deus Creticus in sella sedens et lapidem a Rhea porrectum accipiens.

Nomen Titanum etiam postquam imperio orbati erant usitatum erat, quorum liberi, exceptis Cronidis, imprimis Sol[1]) et Prometheus, Titanes et Hecate Titanis dicebantur, quod Titanum genus in ipsa Creta cultum esse documento est, quod numine divino Titanum amisso prisci incolae Gnosi, urbis Cretensis, obstiterint mortales novo Jovis imperio, ut terribilis sonitus concha Pan, quem eadem nutrix aluisse fertur, terrore iniecto eos sub potestatem fratris redigeret.

III.

Ac de prima quidem parte satis dictum est; sequitur, ut doceam, qua ratione Cronidarum cultu quae proposui fulciantur. At in Creta insula Jupiter, Titanum principis filius, natus esse dicitur. Rhea enim paritura Uranum et Gaeam sive Tellurem parentes terrore cruciata adiit, ut se prudenti consilio adiuvarent. Jussa se contulit Lyctum, quae erat urbs Cretensis a Doribus condita, ubi Jove in antro condito crudeli coniugi lapidem in cunabulis colligatum tradidit devorandum.[2])

Nascenti Jovi Ilithyia adfuisse dicitur, quae dea partus e Minerva in antro Cretensi ad Amisum sito nata in Delum insulam et in Atticam venisse fertur; quo facto Athenis tribus statuis a Phaedra Cretensi et Erysichthone Delio allatis celebrabatur. Puerulo nato Telchines, qui dei apti erant ad deos hominesque visu et voce sua permulcendos, matrem metu affectam adiuvisse perhibentur, quos, quanquam Rhodi sedes celeberrima iis erat, in Creta natos fabros fuisse sapientia clandestina esseque curetes appellatos in fabulis est. Miro quodam modo non solum Ilithyia, sed etiam Vulcanus Jovi nato non defuit; nam ut infans crepundiis lacte Amaltheae caprae satiatus oblectaretur, sphaeram auream cudit.

---

1) Sol dictus esse fertur „vel quia solus ex omnibus sideribus est tantus, vel quia, cum est exortus, obscuratis omnibus solus apparet" (Cic. de n. d. II. 27); sed Sol eadem radice ortus esse videtur qua *σέλας* Graec., Sauil Goth., Saule Litth., Solen pop. septemtr., Sonne Germ., Słonie Slav. Soles multi proferuntur, quorum unus Jove natus, nepos Aetheris, alter Hyperione, tertius Vulcano, Nili sive Jovis Aegyptii (Jabłoński Panth. Aeg. I. p. 168) filio, cuius urbem Aegyptii On Oni Solis, Heliopolin Graeci nominaverunt.

2) Quo potissimum loco Cretae Jupiter natus sit, magna est adhuc dissensio. Alii enim narrant Deum in Ida monte natum esse et in antro Idaeo eruditum, alii in antro Dictes montis eundem natum et a curetibus custoditum et a Melissei filiabus educatum esse contendumt; neque desunt, qui perhibeant Jovem in monte Aegaeo aut in Achaia natum et eruditum esse. Fabula autem Arcadica prodidit Jovem in monte Paarhasio natum et in Lycaeo monte eruditum esse; id vero factum esse in ea regione, cui nomen esset Cretea. Aliae vero fabulae docent a Leda nympha puerulum, cum in campo umbilicio umbilicus inter Thenas et Gnosum decidisset, Gnosum portatum esse, ut erudiretur. At recentioribus tamen temporibus omnes fere opinabantur Jovem in Creta et natum et eruditum esse.

Jupiter, postquam adolevit, ex Creta emigravit et in Olympum se contulit, unde Saturno patri et ceteris Titanibus, qui Othryn montem incolebant, bellum inferret, ex quo bello iam decem annos gesto a Cyclopibus et Cetumgeminis adiutus victor evasit. Quo facto parentes in Graecia parcis usi sunt honoribus.[1])

Summum autem imperium Jovi haud facile munus erat, cum iterum atque iterum ceteris dicere cogeretur, quam potens ipse esset, quo celerius eos terrore afficeret; nihilominus aliquando Thetis ipsum centimanum Briareum Aegaeonem, deum undarum robustiorem, adduxit, qui seditiosos Olympi deos in ordinem cogeret, cum Pan rebellantes Titanes ex Creta propulsaret.

Imprimis magnae curae ei erant uxores. Metis enim vel Sapientia, prima coniux, paritura erat filiam, quae patrem obscuraret, Minervam, quam ab Urano et Tellure doctus devoravit. Attamen Hephaestos, ut ait Pindarus, cum in eo esset, ut Minerva pareretur, securi aenea Jovis caput percussit, ut dea pugnantium cum clamore prorumperet, qua fabula spreta Aristoteles rhetor Rhodius Minervam in Creta nube conditam a Jove ictu liberatam esse narrat. Quanquam Homerus Minervam esse secundum Jovem summum numen declaraverat,[2]) tamen negari non licet, si utramque fabulam accuratius aspexerimus, Minervam eamque Creticam ut Indram deam fuisse seminantem, quae undas coelestes effunderet, id quod magni esse ad numen Creticum indagandum momenti videbimus.

Metis, postquam filiam tam potentem tamque benignam peperit, recessit, in cuius locum Juno[3]), successit; quam difficili natura deam nullius nisi Graecae fuisse nationis Herodotus contendit.[4])

Junoni autem Dodonaeae Dione nomen erat, quae erat Titanis. Matrimonium Junonis cum Jove initum prisco cultu sanctum non solum tota Graecia, sed etiam in Creta celebrabatur et fingebatur, quibus Hierochiis Gnosii, Hierapytnii, Priausii Cretenses dies solemnes dedicaverant.

Est sane quod miremur, qua ratione fieri potuerit, ut Jupiter pugna Titanum pugnata Pythone vel Delphis, non in Creta lapidem a patre devoratum et evomitum intruderet, qui esset signum et miraculum mortalibus, cuius lapidis oraculum non solum cunabulum eius Cretam, sed omnia loca sacra, imprimis oraculum Dodonaeum, obscuraret. Oraculum Dodonaeum Jovis fuisse constat; sed cuius nationis fuerit manifestum non est. Attamen verisimile est Jovis Dodonaei cultum non a Semitibus, sed a veteribus Pelasgis ex prisca sede esse allatum; opinione enim antiquitus accepta adducti credimus Pelasgorum numina fuisse Jovem, Dionen, Junonem, Cererem, Mercurium. Jovem vero Dodonaeum Junonemque Dodonaeam vel Dionem coeli numina fuisse eumque Jovem deum in aere et aethere versantem, nutrientem, seminantem opinor, qui deus de coelo aquas effunderet nubilato et arborum strepitu quid vellet ostenderet. An nos fugit Pelasgos etiam Cretae incolas fuisse? Quae res cum ita se habeat, non erit qui neget Pelasgorum Jovis cultum in Creta veterrimum fuisse, Homero notum,[5]) qui poeta et rerum divinarum scriptor Graecorum antiquissimus cum nihil alieni et memorabilis de Jove Cretico dixerit, sequitur, ut Minois fautor ille celeberrimus a populo Graeco Jupiter Graecus existimatus sit velut Jupiter Dodonaeus deus Graecus putatus est, quanquam non omnibus rebus similis erat Jovi Homerico.

Metuo quidem, ne vituperer dicens Jovi Cretico cum Jove Dodonaeo magnam fuisse similitudinem; sed Jovem Creticum, cum naturam seminaret et moreretur singulis annis et revi-

1) Rhea, Jovis mater pie veneranda, priscis temporibus miro quodam modo a Graecis non nisi cum Saturno fratre et coniuge in tabellis picta erat; recentioribus autem temporibus, cum eandem fuisse Cybelen Phrygiam crederent, deorum mater celeberrima facta est.

2) Il. V. 875. Odys. XXVI. 260.

3) Junonem a iuvando nominatam esse credidit Cic. (de n. d. II. 26), sed erravit, nam Juno erat Dana sive Djana sive Dione Titanis, quod nomen a lumine divino et diei splendore ductum videtur esse. Cfr. p. 2.

4) Herod. II. 59.

5) Odys. XIX. 179.

visceret, non solum naturae deum, paululum sane ad sedis rationem descriptum, sed etiam lucis numen fuisse, cum fabula Cretica tum Jupiter Lycaeus demonstrat. qui in Arcadia eodem cultu atque Jupiter Creticus celebratus videtur esse; qui deus, cum aestatis aestu terribilis esset, a sacerdote ad Hagnonis fontem, quippe qui ab ea nymphe educatus esset, sacris placabatur, querno termite, qui nos de quercu Dodonaea admonet, fontis aquam tangente.

Accedamus iam ad oraculum Delphicum, quod prima Tellus tenuit, quae dea cum homines nihil nisi iustum docuisset, Themis vocata est. Idem oraculum Jupiter Apollini quidem filio tradidit, qui vates, quid pater optimus maximus vellet, hominibus diceret, sed aquila locata suum ipsius esse indicavit. Oraculum profecto Delphicum magni est momenti. Postquam enim Apollo hoc oraculum instituit, meditanti deo, quos potissimum viros sacerdotes et ministros Pythoni caperet, mercatores Gnosii nave occurrerunt, quos sacerdotes legit. Ita evenit, ut in locum Telluris oraculi oraculum Jovis Apollineum succederet a Cretensibus renovatum, qui sacerdotes longum per tempus principatum obtinebant. Quarto enim quoque anno Delphis vere, quo tempore natura reviviscit, aut auctumno, cum numina Tartari horrenda deum a..orum benignum detractum lacerabant, quae opinio Jovem Creticum in memoriam revocat, Apollo[1]) die festissimo celebrabatur, quo die veterrimum certamen hymnus ad citharam cantatus fuisse fertur. Ex hoc ludo sollemni primus victor Chrysothemis Cretensis evasit, cuius pater Carmanor Apollinem caede purgaverat, alter Philammon Cretensis, tertius Thamyris Philammonis filius. Demonstravisse igitur me puto cum numinibus Creticis implicata cohaerere numina Graeca. Atque haec quidem hactenus.

IV.

Nunc quaerendum videtur, in quibus numinibus numerandus sit Jupiter Creticus, quis fuerit tot tantisque fabulis decantatus Minotaurus. Paucis tene. Minoem[2]), filium Jovis et Europae, Asterio rege mortuo, ferunt fabulae regnum Cretae petivisse et legitimum regni successorem se esse miraculo quodam deorum demonstravisse, cum Neptunus taurum immolandum misisset speciosissimum. Qua bestia semota cum deteriorem immolavisset Minos, Neptunum iratum Pasiphaae regis uxori, Solis et Perseidis filiae, iuvenci desiderium iniecisse, ut nasceretur Minotaurus, qui usque ad humeros taurus, cetera homo esset. Ad quod nutriendum monstrum a Daedalo fabricatum esse Labyrinthum, in quo recluso Minotauro homines immolati essent et Athenienses septem pueros totidemque virgines misissent.

Quam fabulam si ad literam acceperis, difficile erit non dolere et lugere Minois sortem, qui prudentia humana et divina sapientia instructus magno premebatur malo: Pasiphaes dementia. Quid? Nonne eum, qui Jovis arcanis admissus fuit, maior etiam cepit dementia, cum Labyrinthus isti monstro ut aedificaretur, ut Minotaurus nutriretur, ut ei pueri et puellae devorandi darentur praeciperet? Est sane quod mireris. Fabula igitur inermis est. Quare erant qui spreto Homeri loco notissimo[3]) dicerent Minoem nunquam regem Cretae fuisse nomenque Minois referendum esse ad illa tempora, quibus Phoenicum vis et cultus in Creta valuisset; quare erant qui contenderent tributum istud Atheniensium in coelo ipso datum esse.

---

1) Apollinum antiquissimus is erat, qui Vulcano natus custos Athenarum fuit; alter Corybantis filius, natus in Creta, cuius de illa insula cum Jove ipso certamen fuisse traditur; tertius Jove Cretensi natus et Latona, quem ex Hyperboreis Delphos ferunt advenisse; quartus in Arcadia, quem Arcades Nomion appellant. (Cic. de n. d. III. 23.)

2) G. F. Schoemann, gr. Alterth. p. 297: Der Name Minos, der sich aus der griechischen Sprache nicht erklären lässt, gehört ohne Zweifel der früheren ungriechischen Bevölkerung der Insel an und bezeichnet ein göttliches Wesen, das jedoch in menschlicher Gestalt auf der Erde geweilt.

3) Odyss. 19. 179.

Cum sol redierit ad signum aequinoctii verni, in quo Taurus est Europae, cum matutino tempore oriuntur Pleiades, vespertino Theseus[1]) altiores petit circulos, vere novo gelidus liquitur humor, Zephyro gleba se resolvit, longiores procedunt dies. Tum vero occidit Orion tauri filius Pasiphaae subiectus. Non diu tamen latet, denuo apparet radiis solis ad vitam revocatus, quando sol in gemellos descendit. In coelo renatus subiectus est tauro, qui deperit Pasiphaen, et per totam regnat aestatem persequens Pleiadum et Hyadum numerum, qui est quatuordecim, Hyades septem totidemque Pleiades. Signa haec seu stellae sunt ii pueri et puellae, quibus Tauri filius, quem parum refert Minotaurum an Orionem voces, incutit horrorem. Sed quousque tandem exercebis, Minotaure, infestum imperium? Manebis sane, dum se iunxerit Sol cum Ophiulco, Theseo, cui dux corona est borealis. Coniunctione facta lucet Sol Thesei nomine et forma gaudens, qui sol iam robustus mox remeare incipit ad inferiores circulos, diei somnique pares facit horas, medium luci atque umbris dividit orbem. At revertitur Theseus, dum Pleiades oriuntur, auctumni tempestate, sex mensibus postquam afuit. Redit victor: nam talis Labyrintho excessit, quae domus habebatur solis, signorum coelestium via, duce Ariadna, quae corona borealis ante solis currum cum Theseo iuncti splendebat eo tempore, cum Tauri filius vel Minotaurus peribat. Sed dubito, num tibi haec opinio aeque satisfaciat.

At veriloquium et cultus nationum antiquissimus, quis Minotaurus fuerit, respondere videntur. Erant sane qui dicerent Minois vocem referendam esse ad Germanorum Mann vel Romanorum ho-min et tauri vocem esse origine Phoenicia; sed vox tauri, quae est sanscritica[2]), non solum cum Phoenicum vel Chaldaeorum vocibus tor sive θώρ[3]) congruitur, sed etiam cum Indorum sthura, Germanorum Stier, tur Slavorum. Quare vox tauri ne Indogermanica quidem est, sed primi generis humani. Minotaurus igitur, qui singulis locis Taurus appellatus est, alia via et ratione explicandus est. Neque defuerunt qui cultus ipsius ratione habita Minotaurum fuisse eundem atque Phoenicum Moloch contenderent; sed huic opinioni cum notatio tum cultus Molochi repugnat. Mittam igitur, quae ipsa ruunt, ut iis satisfaciam, qui poscere videantur: meliora proba. Operam dabo; paucis, quaeso, tenete.

Minotaurus[4]) vox composita est. Mino, prima pars, non ex Minoe vel **Μίνως**, sed ex Men sive Manes, orta est, qui deus erat Asiae minoris populorum. Documento est Romanorum Minerva,[5]) quae dea priscis temporibus Menerva et apud Etruscos Menerfa vel Meurfa nominata et ex Ma-arva vel Mene-arva composita priscis temporibus arvorum numen fuisse videtur. Cum Minerva et Minotauro Vulcani quarti pater Menalius[6]) comparandus est, cuius

1) Gebelinus quidem: „Thésée, inquit, était pour les Athéniens ce que Cadmus et Hercule étaient pour les Thébains; aussi la même constellation, qui, dans les cieux, représente le soleil avec les formes de l'Equinoxe d'Automne, Ophiulcus ou le serpentaire, porte les noms de Cadmus, de Thésée et d'Hercule. La fiction sur Thésée et la fiction sur Hercule sont deux fables solaires faites sur le même astre, honoré sous des noms divers et par des peuples differens,“ quibuscum conferatur Ciceronis opinio (de n. d. III. 18, 45); sed reipublicae institutio, divisio populi, munera et officia, quae ordinibus praescripsit, cura agriculturae, cui Theseus summopere favebat, quibus adnumera, quod exulavit, non physici esse videntur momenti, sed monent praeter Theseum illum coelestem hominem quoque Theseum in terris vitam degisse cultorem Apollinis mitiorisque eius cultus.

2) Th. Mommsen, röm. Gesch. I. p. 15.

3) Plut. Sulla 17.

4) Gebelinus erravit cum diceret: Commençons par le Minotaure. Ce mot est composé du nom de Mines et du mot taureau: c'est mot-à-mot, le Taureau de Minos. Minos lui-même est un des noms du soleil, le Minotaure est donc le taureau du Soleil, le taureau consacré au soleil, tel qu'on en consacrait dans ces tems anciens à cet astre.

5) Cicero quidem (de n. d. II. 27) Minervae nomen a minuendo vel minando ductum esse suspicatus est, sed recentioris aetatis viri doctissimi Minervam vel Menervam (Quintil. I. 4. 17) deam mentis, vocibus mens, memini, *μένος* adiectis, ex men radice ortam esse coniecerunt, quae opinio num verior sit dubito. Cfr. G. F. Schoemann, gr. Alterth. II. p. 420.

6) Cfr. Cic. de n. d. III. 22. 55 et n. G. F. Schoemanni: Auch dieser Name (sc. Menalius) ist ohne Zweifel corrumpirt, eine sichere Emendation aber nicht möglich.

numinis nomen ex duabus vocibus, Men et Ἅλιος, compositum vel ex Men = Ἥλιος[1]) ortum esse opinor, ut Menalius fuerit Sol sive Vulcanus ex mari emicans, cum eius filium Vulcanum non solum Lemni fabricae praefuisse, sed etiam insulas Vulcanias propter Siciliam sitas tenuisse contenderim. Romanorum vero Minerva dea cum eadem atque Graecorum Ἀθηνᾶ fuerit, quae dea Homero teste secundum Jovem maxima et Herodoti testimonio nullius nisi Graeci populi fuit, non est, cur concedamus Mino orientis solius deos spectare, quanquam negari non potest, Mino haud abhorrere ab Asiae Minoris Men deo, cuius numen feminini generis Ma praestantissimum Asiae minoris nationum erat. Unde sequitur, ut Ma, Manes, Men, Min, Mene, Mino voces ad illa tempora referendae sint, quibus Indogermani et Semites in una sede contermini erant, quam opinionem ea quae supra attuli de tauri voce documenta fulciunt. Cum vero Ma sive Μάσταυρα dea Asiae summa a Graecis Diana[2]) tauro vehens nominata Lunae numen fuerit haud dissimilis Syrorum Astartae, quae dea Lunae tauro vehens hastamque tenens fingebatur, sequitur, ut Ma sive Mene deae coniux Men sive Manes solis numen fuerit.

At quis est, quem fugerit ab antiquissimis nationibus eos potissimum deos, qui natura fertili fruges evocarent alerentque forma taurea fictos esse? Ne longum sit, documenta ex Indogermanorum populis petita afferam. Indra enim, primus Indorum Deva, ingens taurus invocabatur. Achelous Graecus, filius Oceani et Telluris, qui Jovem aetate superavisse dicitur cuique ut sacra fierent oraculum Dodonaeum in fine edictorum admonebat, cum Acheloi cornu taureum esset cornu divitiarum, forma taurea fictus adorabatur[3]). Neque vero Dionysos, Jovis et Semeles vel Demetros vel Diones vel Hyes filius, deus rerum fertili natura crescentium omittendus est, nam cum in ceteris terris cornibus tauri praeditus vel taurus fingebatur tum in Elide a mulieribus taurus adorabatur[4]). Cum vero etiam Jovi, Minervae, Apollini taurus gratissima victima fuerit cumque Jupiter forma taurea indutus Europam in Cretam portaverit, non est, cur iis calculum demus, qui Jovem Creticum vel Minotaurum Graecis indignum Semitum numen fuisse contendunt. Nam ut apud Indos Indra, sic Jupiter a Cretensibus forma taurea fictus est, cum fertilitatis, quam coeli rex tempestatibus augere aut perdere poterat, symbolum esset taurus[5]).

Jovis autem Dodonaei uxor erat Dione, Europa Jovis Cretensis. Europa autem regina coeli aeque ac Juno sive Djone laetatur Asterione, ut in nummis stella adiecta, vestis stellata sit in vasis; quae dea rerum natura fertili crescentium in nummis Gortyniis in capite taureo sedet aquila

---

1) ἥλιος = Jon. ἠέλιος = Dor. ἀέλιος et ἅλιος.

2) „Luna a lucendo nominata sit: eadem est enim Lucina. Itaque ut apud Graecos Dianam eamque Luciferam sic apud Romanos Junonem Lucinam in pariendo invocant: quae eadem est Diana omnivaga dicitur, non a venando, sed quod in septem numeratur tanquam vagantibus. Diana dicta, quia noctu quasi diem efficeret“ (Cic. de n. d. II. 27). Juno profecto Lucina est eadem atque Diana sive Ἄρτεμις φωσφόρος vel σελασφόρος sive Luna Lucifera sive Σελήνη dea omnivaga diumque pervagans, quae erat Djone Titanis, uxor Djovis Solis, noctu Tiniam efficiens, quam Dianam Jove Cretico et Latona natam accepimus.

3) Athen. XI. p. 476.

4) Plut. quaest. Graec. c. 36.

5) Cicero quidem (de n. d. II. 25; cfr. p. 2. n. 1.) Saturnum esse appellatum, quod saturaretur annis, suspicatus est; Varro autem (L. L. V. 64.) Saturni nomen a satu ductum esse opinatus est. Quanquam Varronis opinio viris doctissimis (cfr. Theodor. Mommsen, röm. Geschichte, I. p. 219.) comprobata videtur esse, dubito tamen, cum numina nusquam verborum formis futuri temporis finiantur, num verior sit. Nomen igitur Saturni, qui deus priscis temporibus Saëturnus sive Saïturnus nominatus est, ex his vocibus Sâ (= Saë, Saï, säen, siać) Tur-nus compositum esse contenderim. Documento mihi sunt multa Italorum numina, imprimis Juturna eiusque frater Turnus. Iuturnae enim, nymphae Italorum celeberrimae, nequaquam a iuvando ductum est nomen, sed ex Dja(na) sive Djo(ne) vel Ju(n)-Turna (cfr. p. 4) ortum, quod numen coeleste symbolo fertilitatis indutum colebatur (cfr. Mastaura p. 7.) Videsne, ut Minotaurus appellatus sit Taurus factusque Minos rex potentissimus? Simili modo etiam Turnus ex immortali numine rex factus mortalis et ab Aenea superatus est. Cum his numinibus comparentur velim cum Silva-nus et Vertum-nus tum Volturnus (Vol, Vól, Vul = Tur-nus), a quo numine, non a volvendo appellatus est Vulturnus, quod flumen aeque ac turnus sive taurus volvitur. Saturnus igitur, cuius sacerdotes erant fratres Arvales, priscis temporibus forma taurea indutus imprimis sationis deus ab Italis videtur esse celebratus.

applicata. Jupiter vero ut cum Junone vere naturae operam dat. ubi cuculus cecinit, sic in Creta Europam ipso quoque vere taurus, cuius anhelitus crocum redolet, uxorem ducit. Europae igitur florum lectio et Jovis anhelitus croceus pertinet ad naturam veris tempore florentem.

Moris sane erat, ut sponsa raperetur aute nuptias, quem morem opinione humana ne Jupiter quidem effugere poterat; sed Herodotus erravit, cum diceret a Graecis Europam Phoenicibus raptam esse, quod Phoenices Jonem raptam in Aegyptum duxissent: constare enim eum morem a Graecis et barbaris observatum esse, quoties bellum oriturum esset. Jo enim, filia Inachi fluvii Argivi, qui dubium non est quin aeque atque Achelous forma taurea cultus sit, Jovi accepta erat. Qua re concessa manifestum est, qua utrumque numen fuerit forma, nempe eadem, qua Jupiter cum Europa in antro Dicteo Minoem et Rhadamanthum procreavisse fertur, quod utriusque deae fabula eadem est vel simillima.

Quam ob rem non est, cur miremur, quod Asterion, Cretae rex, Europam duxerit in matrimonium, ut Jovis educaret filios; nam Asterion erat idem Jupiter deus coeli, quod numen terrae appellabatur Jupiter Taurus. Idem quoque deus Europae Cretensis erat coniux. Europa autem Cretensis, quam deam fuisse Lunam constat, non abhorruisse[1]) videtur a Minerva Corinthia, quod utriusque deae cognomen Hellotiae fuisse accepimus. Hellotia igitur Corinthia pompa ducta facibusque collucentibus cum acta essent, ipsa quoque Hellotia Cretensia eadem fere ratione celebrata esse contenderim.

Gortynae sane, in quam urbem cum Jove primum venerat, cultus Europae clarissima sedes fuerit sub platano usque virente ad Lethaeum, mirabilissimum illud flumen, in quo Europa luebatur ut Juno in Parthenio flumine. Sed etiam Graeciae ceteris locis haud ignobilis erat; nam Teumessi prope Thebas in urbe sita antrum eius sacrum erat, ut Cretenses et Aegidae Thebani Apollinem Carneum filium Jovis et Europae suum ipsorum deum esse affirmarent.

Cum Jupiter Creticus taurea forma fictus coleretur, factum est, ut, quam supra commemoravi, mira de Minotauro fabula composita sit.

Sed ecce Minois uxor Pasiphae[2]) fuit Solis filia, cuius notatio eadem est atque Euryphaëssae, quae erat mater Solis et Lunae, sive Europae, uxoris Jovis Cretici. Pasiphae igitur nomen Selenes vel Lunae fuit, cuius maritus Min(os) sive Men vel Man(es) nomen Solis dicendum est.

Quae numina luminis coelestis cum symbolo fertilitatis terrestris culta essent, evenit, ut Min(os), postquam Minos et Pasiphae facti sunt mortales, taurea forma fictus Minotaurus adoraretur; quae opinio nomine Asterii[3]), quod cognomen Minotauri fuisse fertur, fulta est. Nam vox Asterii ab Hathor vel Athara, quae bovem significat, nequaquam abhorrere videtur, ex qua etiam cum Ἀθηνᾶ sive Ἀθήνη tum Astarte vel Astoret orta esse creditur[4]). Siquidem Minotaurus sive Asterius, cuius veriloquium cum voce θώρ sive sthura congruitur, cultus est Gortynae, ne-

1) G. F. Schoemann, gr. Alterth., II. p. 420: In Korinth wurde Athena unter dem Beinamen Hellotis oder Hellotia verehrt, und da anderswo, namentlich auf Kreta, auch Europa denselben Beinamen trug, von der es erwiesen ist, dass sie als Mondgöttin gedacht sei (Preller, Myth. II. p. 79), so liegt es nahe, auch bei der korinthischen Hellotis an das nächtliche Mondlicht zu denken.

2) Gebelin l. c.: Minos était fils de Jupiter, et le soleil n'est-il pas un ouvrage de la divinité et un de plus admirables? Pasiphaë est sa femme, mais ce mot est composé de ces deux mots: Pasi-phaë, qui signifie flambeau pour tous; et qui peut être la femme de Minos ou du soleil, si ce n'est celle qui sert de flambeau a tout l'univers, Pasiphaë ou la lune? Pasiphaë aime le toureau blanc sorti des eaux: mais ce toureau n'est-il pas le soleil lui-même sorti du sein des eaux au temps du cahos? n'est-ce pas un de ses noms le plus communs dans l'antiquité allegorique?

3) Paus. II. 31. 1.

4) Dr. Krause l. c.: Der Orient habe die Göttin des Mondes gehörnt dargestellt, auch mit dem Kopfe der Kuh oder ganz in Gestalt der Kuh. Auf diese Vorstellung beziehe sich der phönizische Name Aschera oder Ἀθάρα, egyptisch Hathor, welcher Kuh bedeutet. Der Name der griechischen Göttin Ἀθάνα, Ἀθήνη sei etymologisch mit Ἀθάρα Aschera identisch, denn der Wechsel von n und r lasse sich mehrfach belegen, so besonders durch die semitische Doppelform ben und bar der Sohn.

quaquam sequitur, ut hic deus Phoenicum Moloch putandus sit. Immo vero etiam forma taurea coeli rex coli potuit, qui solis calore et luce efficere credebatur, ut omnes res florerent. Quo factum est, ut Graeci opinarentur Asterium ex ἀστήρ voce ortum Solem esse. Quare non est, cur mireris, quod in nummis Gnosiis pro capite taureo in Labyrintho astrum positum est[1]).

Jupiter igitur Creticus sive Minotaurus imprimis Solis numen fuisse videtur[2]); attamen non almus ille Sol, Hyperionis Titanis et Theiae Titanidis sive Euryphaëssae filius, curru nitido diem qui promit et celat apud Arjam populum aeque atque apud Graecos Uscham sive Auroram secutus quadriga, ut in Oceano Vulcani lintrem auream conscenderet: sed ille Sol, qui aëris salubris et agrorum fertilitatis dator et ad pestem aliaque mala averruncunda numen praestantissimum habebatur, qualis fuit Apollo, cui deo sive Soli libris Sibyllinis vel ritualibus inspectis Romani et Etrusci ultimum magni anni mundani mensem tribuerunt. Huius Solis numinis symbolum in Labyrintho Cretico reclusum erat.

Veteres sane viderunt Labyrinthum ad formam coelestis circuli exstructum fuisse, anfractibus suis solis viam repraesentavisse, solis fuisse domum, quae duodecim sedibus duodecim signa coelestia in memoriam revocaret[3]); qua opinione spreta recentiores antiquitatis investigatores auctore Hoeckio Labyrinthum, religionem et fidem cum spectavisset, nusquam exstructum fuisse crediderunt[4]). Quae opinio cui probata erit, assentietur Minotaurum nusquam cultum esse. Sed dii tamen etiam a Cretensibus vel in templis vel in antris collocati adorabantur. Illi sane viri investigant in Creta templum, quod Labyrintho Aegyptio simile sit[5]), quod poetae veteres carminibus celebraverint, sed non est, cur Labyrinthum Creticum Aegyptio similem fuisse credamus. Erant igitur qui dicerent[6]), vocem compositam esse ex tribus orientis vocibus: la, le, byr (regia), inthe (Solis), in qua regia Solis symbolum reclusum esset; sed vocem inth(us) alia ratione explicandam esse, urbs Corinthus[7]) docet. Neque vero deerant, qui Hebraeorum voce a w a r adhibita demonstrare studerent, Labyrinthum Creticum fuisse origine Semitica, quo loco sacra comburerentur[8]). Attamen cum a w a r non solum vocem Semiticam, sed etiam Indogermanicam fuisse Indogermanorum voces u r, πῦρ, F e u e r, w a r,

---

1) Auf knosischen Münzen zeigt das Labyrinth bald einen Stierkopf in der Mitte, bald einen grossen Stern in der Mitte und vier kleinere in den Seitenfeldern, bald im Felde einen Stern oder Blitz. Preller, gr. Mythologie II. 124.

2) Gebelin l. c. p. 448: Le Minotaure était donc une statue semblable à celle du veau d'or, consacré au soleil, et relative au culte qu'on rendait à cet astre.

3) Apollodor. III. 1. 4. — Virg. Aen. 6. 27. — Plin. 36. 19.

4) Lübker, Reallex. p. 523. — Preller, gr. Myth. II. 124.

5) Herod. II. 148. — Strab. XVI. 1.

6) Gebelin p. 499: Le Minotaure est renfermé dans le labyrinthe, mais le labyrinthe était le palais du soleil; c'est le temple dans lequel on l'adorait; c'est donc là où devait être nécessairement son symbole. Et c'est ce que signifie ce mot, composé de trois mots orientaux la, le, byr, palais; inthe, du soleil ou solaire: mot à mot le palais du soleil.

7) G. F. Schoemann, gr. Alterth., II. p. 152: Von Korinth deuten unverkennbare Spuren darauf, dass hier früher Helios, der Sonnengott, in ähnlicher Auffassung wie anderswo Zeus, als der oberste Gott verehrt worden sei, woher auch die Stadt selbst vor Alters Stadt des Helios (Heliopolis) geheissen haben soll.

